



Sammlung
IV.

N^o 6433 *



J. G. ZEIDLERI
SYNOPSIS
FISCOLO-
GICA,

Concinnâ accurataque Methodo
ante hos viginti octo annos
conscripta,

Nunc ob exemplarium defectum juxta
editionem Francofurt. recusa, cum nova Præ-
fatione Autoris, in qua de consilio editio-
nis, deq; mirifica utilitate novarum Di-
sciplinarum differitur.

LUGDUNI. BAT. MDCCL.



I. G. VEDLER

27 NOV 212

FISCOLO. GICA.

Contra ...
...
...

...
...
...
...
...

... 1700





LECTORI BENEVOLOS.

CUm Wittembergæ admodum
adolescens primum Disciplinis
philosophicis operam dedis-
sem, imitandi studio allectus,
quod quasi naturale mihi semper fuit,
cum graves Disciplinas moliri non pos-
sem, ridiculam hanc, quam vides, par-
turivi, non eo quidem animo, uti Philo-
sophiæ Aristotelicæ insultarem, qualis
tunc florebat, cujus eram religiosus ado-
rator, sed ut nescio quos Philosophas
novis disciplinis tuis nescio quid
se invenisse putantes, exagitarem. Id
enim, cujusmodi sit, exemplo ostendi.
Nimirum non esse tam arduum ac in-
geniosum, de re nihili aut parvi mo-
menti, aut de re alias satis manifesta, di-
sciplinam è supellectili Metaphysica ex-
truere, eaque quæ propriè ac perspicue
dici poterant, ænigmatibus termino-
rum nihil significantium involvere, ut

à vulgi intellectu sint paullo remotiora, & myſteria quaſi videantur. Hæc itaque præcepta, quæſtiones, canones, cum omnibus, quæ in iis continentur, ſubtilitatibus, materiam propositam non enucleant, ſed obſcuriſſimam reddunt, quæ alias ſemihorulæ diſcurſu, quo totum enarretur negotium, intelligi queant, ea ſi hunc libellum ſequaris, Collegio annuo, & 50. Diſputationibus, de hac materia habitis vix aſſequeris. Præcticus omnino ex hypotheſi hic habitus eſt; inde verò etiam ſi decies hunc libellum perlegeris, non ages ſecundum leges & obſervationes Fiſci, niſi ipſe fueris Conviva in Convictorio publico, & per omnia officia verſatus. Quid autem aliud agitur in Philoſophia morali, & in Theologiâ quoque ex parte, quæ dicuntur quidem habitus præctici, ſed theoreticè nimis vulgò tractantur, ita ut inde tam ſias virtuoſus aut Chriſtianus, quàm ex hoc libello peritus Reipublicæ fiſcologicæ. Tanto terminorum, definitionum diſtinctionum ac ſubtilitatum apparatus-

cujus-

cujusmodi hic aliquam speciem vides, omnes non solum historiae describi, sed & artes omnes opificum repraesentari possent: quas si e vulgari discursu audias, vel praesens contempleris, animoque imprimas, rectius sane disces, ignoratis omnino quisquiliis & involucris terminorum. Pretium ergo disciplinarum, quae huic ipsi per jocum extructae vel similes sunt, vel aequales, ex hujus formae, si sapis, aestimabis. Hic enim valere existimo tritum istud: Noscitur ex socio qui non bene noscitur ex se. Caeterum cum omnia exemplaria priorum editionum essent divendita, & a quibusdam posceret de hujus libelli, cui nescio quid tribuebant, renovatione; praeterea hoc aevio, quo inanibus disciplinis explosis tumulus jam paratus est, scandalum inde metuendum non fit, cum quae in aurem quondam dicebantur, nunc proclametur in tectis, iteratam hanc editionem adornavi, verbotenus omnibus retentis. Quid enim opus esset emendatione in his, ubi data opera ineptivi.


Quem præcipuè Præceptorum meorum quoad methodum stylum ac filum imitatus sim, non adeo obscurum est. Cum stilus gravitatem aliquam præ se ferat, methodus scholam redoleat, abruptenda mihi fuit aliquando oratio, ut concisis sententiis obscuritatem in docendis scientiis Academicis tum usitatam imitarem. Hoc enim efficiendum erat, ut ovum cum ovo, quantum fieri poterat, exacte congrueret.

Neque autem vel Convictorii publici leges ac consuetudines, adhuc minus ipsam illustrem Academiam, cujus censuræ hunc libellum summisi olim, ejusque approbationem à Decano Facultatis philosophicæ, venerando Sene, liberaliter impetravi, risui exposui; Sed, quas dixi, nugatrices disciplinarum methodos exagitavi. Quâ de Satyrâ olim Viros excellentis doctrinæ mihi gratulatos esse memini. Si quis hanc augere, ac ad Statum convictorii modernum accommodare, sapientiâque terminiloquâ undique exornare cupiat, ei non

III

A

einon



ei non solum non repugnabo, sed &
gratias, quas possum, maximas, si co-
gnovero id affabrè præstitum atque
effectum esse, persolvam. Halæ
Magdeburgicæ. d. 1. Novembr. A. 1700.

Joh. Gotofredus Zeidlerus;

A 4

NO.






NOBILISSIMÆ SOCIETATI
CONVICTORII PUBLICI WIT-
TEBERGENSIS, ET MENSIS
QVIDEM SINGULIS.

hanc suam

Disciplinam offert
AUTOR.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Ingeni modo pumice expositum?
Docta Aetas, tibi namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Jam tum, cum ausus eram unus incolarum
Parnassi tribus explicare chartis
Fisci notitiam minùs celebrem.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli est
Qualecunque: quod, ô optimi patroni,
Plus uno maneat perenne seculo.

Ad



Ad Lectorem vetus Prefatio.

FELICES homines si quis mente so-
lùm dixerit, is à vero nequaquam
mihi aberrâsse videtur, tum quod
eâ distinguamur à brutis, tum quod ad
intellectum divinum, quò magis aliquis
ingenio excellit, eò magis accedit. Hæc
ego mecum reputans, ab eo tempore,
quo obscuræ, scholasticæque sapientiæ
valedixi, id operam dedi, ut, cum po-
tissima laus nostræ ætatis in variarum
artium, scientiarumque cognitione
consistat, his me totum traderem, inque
id juxta incumberem, ut, sicut artifex
non potest in suâ arte aliquid laudis
mereri, nisi inventis magistrorum su-
orum de suo aliquid addat ingenio; ho-
rum & ego consuetudinem observa-
rem; Quandoquidem his nostris tem-
poribus multa, quæ neglexerunt anti-
qui, in artibus observata. Et ipsi Philo-
sophiæ vel centum abhinc annis mul-
tum accessit. Quo in genere cum plu-
rimum semper Witteberga effecit, tum
A 5 etiam

etiam id, ut quod antea disciplinarum est inventum, subtiliter nunc accurate-
 que conservet. Hujus me incolam di-
 ligentiam æmulari æquum duxi: Qua-
 propter, cum omnium scientiarum, quæ
 quidem possunt nostræ dici, perfectus
 & ordo sit & numerus, activis discipli-
 nis Fiscologiam adjeci, dum quicquid in
 mensâ communi Wittebergenfi vel le-
 gum, vel honestarum observationum
 occurrit, certâ doctrinæ methodo,
 quam disciplinam vocant, composui, id-
 que ante biennium, cum adhuc ipse hu-
 ic convictorio interesset. Neque e-
 nim ejus societatis utilissimas constitu-
 tiones satis possum vel considerare, vel
 admirari, quibus in morem aristocratæ
 cujusdam universa ea sustentatur. Qua
 propter Practicam hanc disciplinam re-
 ctè effeci, quam & alio modo vel artem,
 vel scientiam facere potuissem. Nec
 partem tamen vel Politicæ, vel Oeco-
 nomix eam esse volui, quoniam hæc o-
 mnis aliena consideratio est; sed ea pro-
 pria atque familiaris, quam ipsæ res
 efflagitant. Verùm posset hæc obscura
 admo-

missis

admodum disciplina, neque memoriae digna videri, praesertim cum tantus ejus, quantus reliquarum usus non datur; Sed quis nescit Mathematicae disciplinae summam nobilitatem non res, sed modum doctrinae conciliare. Et jocosum summus aliquando usus est. Igitur hanc omnem disciplinam jocosam effeci. Sumque in eo Lucianum Philosophum imitatus, qui cum veras posset historias, fabulas in morem historiarum conscripsit, eoque omnes sui temporis historicos fabulosos effecit. Qui ne minuti quoque hujus seculi Philosophi efficiantur timeo, qui nescio quas barbaras disciplinas, crassasque subtilitates afferunt, quò rudem juventutem decipiant. Sed barbarè cum barbaris, jocosè cum eruditis loquor. Nec in nostra tamen disciplinâ loquendi modus planè barbarus, sed is Philosophicus est, qui si omnium Philosophorum purus esset, nec nos coacti essemus, ut mixto uteremur: Nunc par est, me cum Philosophis loqui, ut à Philosophis intelligar. **Quanquam non negem potu-**

potuisse quædam, a me & melius excogitari, & commodius dici. Sed cum nec Philosophica hæc disciplina fit, nec seria, nec unus omnia semel animadvertat, nolui in eâ expoliendâ multum temporis consumere. Cæterum multa adhuc monere potuissem, sed quia hæc omnia ex usu melius possunt disci, quam prolixè a me enarrari, in præsentî desino, & aliis hoc committo, quibus ingenium & major dicendi suppetit copia. Qui & ipsi suam in adjuvandâ nostrâ disciplinâ operam collocabunt, memores illius Christophori Columbi: Facilius esse inventis aliquid addere, quam de novo aliquid invenire.

A thor-



Adhortatio ad Momum:

CArpien soltu nicht Momus hier /
Trinck du davor ein Känngen
Wein /
Und laß dis Buch nur ungeschorn /
Man hält dich sonst für einen Hannß
Abel
So du wirst etwas hieran tadeln /
Soll man dich zerreißen mit NehPfie-
men.
Dis Buch ist einfältig gemacht /
Es ist nicht drinn ein grosser Stolz;
Zur Kurzweil ist es angefangen /
Drum ließ es durch mit grosser Be-
gier.
Ist etwas drinnen zu versprechen /
Du darffts der Kurzweil nur zu mes-
sen /
Wir wolln dir wol was ernstlichs schrei-
ben /
Wirstu den Schnabel an uns wezen.
Gefällt

Gefält dir's nicht / so laß es stehn /
 Und thu zu andern Büchern marchirn /
 Dis Buch soll ohne dich wol bleiben /
 Weil in Wittenberg wird seyn ein Fen-
 ster-Glaß.

Adieu ! Ich kan jetzt nicht mehr rei-
 men /
 Ich möcht sonst verseumen die Feuer-
 meur.

Dieses setzet seinem *Veteri noto-
 que Columbo & olim socio hy-
 pocausali* zu

Johann Sabina Zwitter /
 Schorsteinfeger und Rath's
 verwandter zu *Kaminieck Po-
 dolsky* in Thüringen.

SYNO-



SYNOPSEOS
FISCOLOGICÆ

PROOEMIUM,

De

**NATURA ET CONSTI-
 TUTIONE FISCOLOGIÆ.**

PRÆCEPTA.

I. Fiscologia est Habitus Practicus
 monstrans accuratam Fisci communis
 constitutionem, per certa media, ad e-
 jusdem bene constituti fruitionem.

Exeges.

§. 1. Nomen Fiscologiæ veteribus ignotum
 inventum demum á recentioribus est, & ad
 modum aliorum habituum usui accommoda-
 tum, à Fisco ejus objecto, & Græcorum λόγος
 dictum, & sermonem notat de Fisco, & propter
 Fiscum susceptum. Id verò sibi peculiare
 habet

rn /
 /
 gen-
 rei-

uer-

noto-
 io by-

ter /
 aths
 & Po-

IO-

habet præ cæteris Disciplinis Fiscologia, quod, uti Fiscus è variis nummorum speciebus, ita nomen ejus ex duabus linguis componi velit.

§. 2. Genus Fiscologiæ facimus Habitum Practicum: Cum enim in agendo occupetur, Finem quoque praxin habet, & strictiori quidem sensu ita appellatam. Quæ omni contemplationi contradistinguitur, licet Objecti ejus aliquam dari cognitionem scientificam non repugnet.

§. 3. Conceptus Differentialis absolvitur Fine à cæteris Disciplinis Practicis distincto, quem dico Fisci communis esse constitutionem, ut intelligamus Praxin tam Mechanicam, quàm Moralem exulare à Fiscologiâ, & ab omnibus eam differre actionum generibus; Quâ der e inferius suo loco dicendum.

II. Dividitur ad modum Disciplinarum Practicarum in tres partes, quarum prima de Fine, secunda de Subjecto, tertia de Mediis agit.

Convenit hæc divisio cum reliquis reliquarum Disciplinarum practicarum: In quibus cum Finis præmitti velit subjecto, Subjectumque Medius, & Fiscologiæ pro rerum enumeratarum diversitate tres distinctæ sectiones enascuntur: quarum 1. de Fine, 2. de Subjecto, 3. de Mediis explicandis sollicita est.

QVAE

QUÆSTIONES.

I. Quâ Methodo sit tractanda Fiscologia?

Eam omnis Disciplina Methodum amplectitur, quam Fini suo videt esse accommodatam: Unde pro diverfitate finis diversus etiam tractandi modus oritur, ita ut alter eorundem contemplationi, alter actioni inserviat. Cum ergo Fiscologia finis actio sit, Methodo quoque Analyticâ gaudere eandem fas est, convenientissimâ naturæ suæ paullo accuratius expendendæ.

II. Num Fiscologia Habitus recte in Disciplinam redigatur?

§. 1. Ita ejus dignitas postulat, & obscura admodum conditio. Quanquam enim innatum unicuique sit Fisci conservandi studium, cum omnes à natura ferantur ad augenda bona communia, quibus singulis frui datur; Media tamen non semper sese offerunt, æqualiter ad obtinendum commune bonum facientia; sed aliis alia approbantur media, quæ rursus à quibusdam negliguntur prorsus, & habitum Fiscologiae insignis imperfectionis arguunt. Nec obvium semper est in deliberatione judicium, unde intoleranda obscuritate involutus noster habitus ancipitem cum damno reddit cultorem suum, meliora sæpius exoptantem fata, quibus annuentibus accu-

B

ratâ,

ratâ, firmâ, & uniformi methodo extet Fisco-
logia, & Commensalium plerorumque vota
impleat. Cum enim literis nondum tradita
esset Fiscolegiâ, paucis observata sunt media
genuina, cum ea vulgare esset interdictum,
obluctantibus iis præprimis, quibus sola com-
potatio, & quæ eandem comitantur, hoc im-
pedire negotium videbantur.

§. 2. Quapropter cum omnis habitus me-
dium sui conservativum disciplinam expetat,
quo ille animis nostris inditus conservari, &
ad posteros propagari cupit, & Fiscolegia, quæ
Subjecto suo, licet inæqualiter inest, hunc di-
sciplinarium tractandi modum requirit, & o-
mnibus nimmer absoluta sisti oculis cupit or-
bis eruditi, inque numero recenseri discipli-
narum practicarum, quarum vis in agendo
summa est, & usus etiam accommodatus ad
studia pariter ac vitam Academicam.

III. *An Fiscolegia sit peculiaris & distincta Disciplina?*

§. 1. A Fine præprimis petenda hæc est di-
versitas. Nam cum objecto disciplinari, quod
considerari in præsentem debeat, destituta sit Fi-
scologia, à propriâ practicarum disciplinarum
conditione dependere eandem statuendum
est. Ubi Finis spectatur unice, qui in Subje-
ctum introducit. In hoc autem cum nullâ
aliâ disciplinâ convenire hanc nostram, indu-
ctio

ctio manifestat: Ab Ethicâ quidem differre eandem, finis docet ab Ethico sine prorsus alienus: Nam Ethicæ Finis si. B. est, & verum quidem, non apparens; hujus finis in bono consistit Fiscologico, non vero quidem semper, sed interdum etiam viso. Nec est, quod ad specialem Ethicam referri posse Fiscologiam putes, quam alii inepte introduxerunt, cum, ut de fine nihil dicam, media ibi adhibeantur toto cœlo ab Ethicis illis discrepantia. Multò minùs ad Politicam, vel Oeconomiam spectat, neque enim vel Reipublicæ, vel familiaris conservatio in Fiscologiâ attenditur.

§. 2. Deinde ad Jurisprudentiam nec pertinere, nec eidem subalternari Fiscologiam asserunt liberæ actiones, quibus impendunt operam cultores Fiscologiæ, nec à legibus vel divinis vel humanis eorundem dependet felicitas, licet ex accidenti tanquam instrumenta concurrant. Denique non Justitiæ causâ, sed in solius Fisci gratiam has suscipi actiones satis abunde constat.

IV. An Fiscologia per Artem definiri possit?

§. 1. De genere proximo & adæquato loquimur; nam in sensu latiori convenire eidem hanc posse definitionem facillè largimur, in adæquatè accepto vocabulo artis, pro quocunque cognoscendi habitu. Quo sensu etiam omnia illa vocabula, quæ in genuini generis

locum substituuntur, tolerari posse fatendum est. Interim in definiendis habitibus proximo genere utendum esse necessario, jubet Logica definitionis mater.

§. 2. Nos, missis aliis de genere Fiscologiae ineptiis, per artem solum à nonnullis eam definiiri annotamus, quod quidem genus competere habitui activo nequit, qualem esse Fiscologiam è supra dictis constat: Neque enim habitus est cum rectâ ratione effectivus, nec objecto nititur poëtico; sed omnia hic practica sunt, quæcunque ad Fisci exultationem suscipiuntur.

V. An Fiscologia vocabulum sit barbarum?

Notiones primas sequuntur secundæ, illæ ipsas res, hæ rerum important varias, ut ita dicam, appellationes. Cum ergo Fiscologia ipsa non sit barbara, per Quæst. 2. neque barbara esse potest ejus appellatio. Cum legitimus usus maximè, non abusus, & in vulgus nota depravatio, novum novæ disciplinæ nomen imposuisse videatur.

CANONES.

I. Fiscologia est Disciplina nobilissima.

Gaudet enim Legibus nobilissimis ab ipso Serenissimo Saxonix Electore profectis, cujus imperio sancitæ sunt, & conservantur imposterum in finem Fiscologicum. Præterea Sub-
jecto

jecto nititur nobilissimo, tot Parnassi incolarum centuriis, à quibus, & in quorum usum unicè tractanda est Fiscologia. Ut de antiquitate, celebritate, Privilegiis, aliisque concessis Splendiditatibus nihil dicam, quæ omnia ei insignem nobilitatem conciliant.

II. Fiscologia est disciplina jucundissima.

Jucunditatem non exiguam è Fisco benè constituto oriri, testatur júbilus exultantium in applicatione mediorum Fiscologicorum? Quanquam enim eorum qui hanc disciplinam averfantur mœror videatur, si de eorundem ludatur corio; at inviti nulla voluptas. Et hos Subjectum non esse Fiscologiæ patet ex oppugnatione mediorum licet interdum apparenti. Qui autem media aspernatur, nec finem cupit assequi, in quo vera demum jucunditas obtinetur.

III. Fiscologia est Disciplina difficilissima.

Non quod difficilis sit peccatorum evitatio, quam sententiam tenuere plurimi de grege Fiscologorum: ita enim ex opposito judicando canonis nostri veritas expiraret. Neque eam h. l. difficultatem intelligimus, quâ Fiscologia conscribitur, quæ licet in suo genere maxima sit, tamen ubi de Praxi agitur, negligenda est. cum finis hujus disciplinæ non in nudâ

theoriâ, sed in praxi unicè consistat; Sed ob
 difficillimam Habitûs Fiscologici acquisitionem :
 Difficile n. est ad quod obtinendum
 magnus labor exigitur. Quod in Fiscologiâ
 usu venire asseverat experientia : Conjuncta
 enim est tam administrario munerum, quàm
 Traditiones & Liber Judiciarius cum insigni
 labore. Ut de difficultatibus nihil dicam, quâ
 discretiones atque donationes obtinentur.

IV. Fiscologia non est pars Philosophiæ.

Sed novus planè distinctusque habitus.
 Nec enim augere nos numerum disciplinarum
 Philosophicarum, quod minuti faciunt
 Philosophi, nec minuere volumus. Philosophia
 sine Fiscologia, & Fiscologia extra Philosophiam
 integra disciplina est.

V. Fiscologia non contemplatur cibos
 mensæ communis, aut eorundem
 accidentia.

Dupliciter cibi considerari possunt, vel
 quoad materiam, vel novam formalitatem ab
 arte demum introducendam : Prius Physica
 præstat, posterius in Coquinariâ peragendum
 est, cum quibus Fiscologiæ nihil est commercii.
 Nec impedire videtur accidentaliter ad Fiscum
 concursus, ea enim ratione infinita dari
 media possent Fiscum remotè & sine omni
 intentione agentis constituentia. Solent tamen

men

men nihilominus indirectè spectari, prout suâ cognitione, specialique ad mensam communem habitudine ad faciliorem mediorum explicationem conducunt.

SECTIO I.

De

F I N E,

PRÆCEPTA.

I. Finis Fiscologiae est Causa propter quam actio Fiscologica suscipitur. Estque Computatio.

§. I. Quæ de Fine in genere dicta sunt, ex causarum doctrinâ in Metaphysicis repeti debent: Nunc id demum agendum, ut de applicatione eorundem ad hunc nostrum accuratius constet. Quare Finem causam esse diximus, cujus gratiâ actio Fiscologica suscipiatur. Observandum autem probè est, eum h. l. finem spectari, qui ultimatè expetitur; Quanquam enim reliquorum non inanis omninò explicatio sit, in præsentia tamen, ubi de principali ac primario Fiscologiae scopo sermo est, omnes alii fines, quotquot præter recensitum dari possunt, tanquam præcogniti negliguntur, proposito solùm eo, qui sanâ ratione, & quotidianis omnium actionibus approbatur.

§. 2. Quapropter de vero ac genuino fine determinando imprimis cogitandum est: Ubi non levis sententiarum pugna Fiscologorum occupavit animos, quorum alii alios eligunt fines, sine sensu tamen sapius ac sanâ ratione, Nobis verò præ cæteris placet Compotatio: In eam enim omnia media ordinata sunt, neque ullum eorum reperitur, quod non adminiculo sit Compotationi Fiscologicæ. Deinde ipsa Subjecti natura, & debitus Fiscum usurpandi modus nil aliud suadent, cum is potationi magis, quàm aliis rebus inservire cupiat. Denique vota Convictorum, nullum alium finem eligentium, & approbantium proprio usu in hâc ipsâ acquiescendum jubent.

II. Dividitur Compotatio in Ordinariam, & Extraordinariam.

Non ea h. l. divisio attenditur, quæ generis in species est, vel totius in partes, sed subjecti in accidentia, eaque vel ordinariè, vel extraordinariè illud afficientia. Pro diversitate enim accedentis loci vel temporis aliam atque aliam sortitur conditionem Compotatio, quæ aliàs in suâ naturâ una eademque est. Etenim quæ secundum plus vel minus differunt, realiter non differre loquitur tritus Metaphysicorum canon.

III. Compotatio Ordinaria est, quæ inter epulas in Cœnaculo publico suscipitur.

§. 1. Or-

§. 1. Ordinaria ab ordine appellatur, quo mediante instituta est, & modo etiam peragendi. Id enim ordinarium dicimus, quod ex intentione agentis accidit, prærequisitis certis mediis, quæ nunquam à fine aberrant, nisi exotericâ quâdam conditione impediatur ex aliâ intentione resultanti. Quancunque enim Fiscî magnitudo sit, fini nihilominus ordinario asseverante Legum tenore ordinatur, cum honesta maximè sit ista constitutio, & necessario præterea requiratur, ad mitigandam ciborum siccitatem.

§. 2. Differentia à loco desumitur, in quo peragi solet omnis compotatio ordinaria. Quancquam enim & alius dari possit præter in definitione recensitum; Instituto tamen Electorali, & cujuscunque tenaci desiderio præcipientibus retentus huc usque in gratiam epularum est, non tam abundantix, quam necessitatis vicem supplens.

IV. Extraordinaria est, quæ præter necessitatem instituitur in locis extraneis.

Rursus per subjectum ac finem explicanda definitio est: ac hic quidem non necessariâ usurpatione absolvitur, illud dat locus compotationi inserviens, qui pro fine speciali magnoperè variat, quatenus vel solo Baccho, vel Veneri simul, & instrumentis musicis indul-

gendum est. Unde vel cellæ publicæ, vel hor-
ti, aut civium palatia eliguntur, aut quæcun-
que loca in explendum Fisci desiderium ad-
hiberi possunt.

QUESTIONES:

I. *Utrum Ordinaria Computationi Extra- ordinaria preferenda sit?*

§. 1. Quodcunque alteri anteponitur, vel
ob essentialem quandam dignitatem fit, vel
accidentium solummodò nobilitatem, quo-
rum rationes inter se comparantur, ut subje-
cta certis modis differant, ac gradibus quasi
quibusdam unum alterum antecellat, essentiâ
nihilominùs eâdem existente. Quare cum
uterque computationis modus eâdem confi-
stat formâ atque materiâ, nec magis alter alte-
ro finis fit Fiscologiæ, accidentium eandem
esse differentiam sequitur, afficientium paul-
latim & immutantium ex accidenti eorundem
naturam, salvâ manente essentiali subjecti in-
tegritate.

§. 3. Unde, cum omnibus dignitatibus ac-
cidentalibus vincat ordinariam computatio-
nem extraordinaria, dubium prorsus non erit,
quin digniorem quoque locum occupet in
eligendo sine, quàm illa, quæ adjunctis huic
ornamentis caret, & loco etiam & tempore ma-
gis idoneo destituitur.

II. *Num*

II. Num ad Convivia Fiscologica jure trahi possit hospes?

A Subjecto solum intendente finis acquiri debet; Quare cum mensæ cujuscunque accolæ subjectum sint, propria quoque illorum erit Fisci sui usurpatio. Omnes enim in id elaborant, quomodò fiscus adaugeatur, quem non nisi proprio damno constitui posse ex præcedd. liquet. Interim tamen participare aliquid de jure illorum posse alios, non reluctantibus iis in quorum gratiam ea actio suscipitur, nec legibus aliud suadentibus, spontè concedendum est.

III. Num is, qui locum in mensâ tenet vicarium, unâ bibere possit?

Parratio est cum quæstione præcedente. Quod enim de hospite jamjam asseruimus, idem de vicario valet. Habetur enim is pro legitimo mensæ membro ex substitutione alienâ, & propriâ adstipulatione, cum omnes conditiones subeat, quæ in subjecto Fiscologix requiruntur. Deinde etiam ex imputatione ad fiscum constitutionem concurrat, primâ videlicet hebdomade, sequentibus verò per se. Denique à mensâ abiens, quanquam manere ibi non redeunte substituente suo nil prohibeat, insigni quâdam discretionem animum gratum declarare cogitur.

IV. Num

IV. Num illi, qui absente primariâ mensæ parte Fiscologicè bibunt, damnum restituere teneantur?

Notanter dico Fiscologicè : Nam Physicè eos, vel alio etiam modo bibere posse manifestum est. Quæ omnes Computationes, uti mediis non efficiuntur Fiscologicis, ita hùc non spectant. Quare cum Subjectum nostrum è pluribus personis aggregatum sit, singulos illud assequi fas est, quod ab omnibus intenditur, neque unus & alter defraudare maximum personarum numerum debet. Notum enim est, majorem mensæ partem concludere, quod etiam in afferendis in alium locum cibus observatur.

CANONES.

I. Computatio est ultima meta omnium actionum Fiscologicarum.

In illâ enim omnia media ultimatè acquiescere suprâ demonstravimus. Nec ob alium finem illæ actiones suscipiuntur : Quia nec morum integritas, nec disciplina mensalis exhaurire potest omnem latitudinem mediorum Fiscologicorum; Quanquam secundariò intendantur, & speciem solummodò repræsentent finis ultimi. Quibus positis sequitur, sublata computatione omnia media interitura, nisi
 aliam

aliam planè Fiscologipm fingere aliquis vellet.

II. Quorum nullus est Fiscus, eorum nulla quoque Compotatio.

Sc. Fiscologica: Potest enim & alia suscipi per diversa media. Loquitur autem canon de omnimodâ Fisci absentîâ, quoniam qui Fisco solùm perfectò destituuntur. nihilominus aliquam possunt instituere potationem, proportionatam cum mediis imperfectis. Deinde de extraordinariâ plerunq̄ue Compotatione valet nxioma, cum ordinaria interdum detur in certis Fisci speciebus.

III. Compotatio omnis ad Subjectum refertur.

Non universale solùm & adæquatum, sed singula etiam individua in particulari; Quibus licet non primariò inserviat, aliquem tamen ad ea respectum involvit, ut pro eorundem diversitate variet ipsa compotationis natura. Quatenus enim aliquis plus vel minus bibit, vel quibusdam adjunctis delectatur, ipsam compotationem variare cupit.

SECT.

SECT. II.

De

SUBJECTO.

CAP. I.

De

SUBJECTO INFORMATIONIS.

PRÆCEPTA.

I. Subjectum Informationis Fisco-
giæ est aggregatio plurium Studiofo-
rum in mensâ communi Witteber-
genfi.

Cum Subjectum nostrum sit ens compo-
situm, perfecta ejus haberi definitio nequit; in-
stituenda tamen ejus descriptio est, absolven-
da per conceptum quendam communem &
propriam. Dico ergo Subjectum nostrum
esse aggregationem plurium Studioforum,
non qualemcunq̄ue tamen, sed restrictam ad
statum aliquem propriam, qui mensæ com-
munis fruitio est. Ut constat individua quæ-
cunq̄ue, licet in iis fundamentaliter radica-
tum sit nostrum Subjectum, hic non pro sub-
jecto haberi, sed ex iis solum aggregari aliquid
compositum, quatenus ex quibusdam indivi-
duis simul sumtis, vel mensâ, vel universum
etiam

etiam victorium oritur, quod pro universali subjecto considerari possit.

II. Dividitur in plures distinctasque mensas, quæ rursus 1. in Primam, Secundam, Tertiam &c. 2. in Lumine auctas, & eodem diminutas, 3. in Superiores & Inferiores subdividuntur.

§. 1. Divisio hæc Subjecti universalis est, & hodierno quidem statui accommodata. Ubi 1. ratione numeri mensam aliam vel Primam, vel Secundam, vel Tertiam esse diximus: Non enim in infinitum excrescere potest numerus mensarum; sic enim quantitas daretur actu infinita. Terminus à quo numerandi angulus est cœnaculi publici meridionalis, ad quem verò oppositus eidem Septentionalis, januam versus se inclinans.

§. 2. Lumine aucta vel diminuta mensa esse dicitur, non sensu Astronomico, quasi vel Sol, vel aliud lumen ad mensam propius accedere, vel illa ad Solem è contrario possit; Sed quia diversum in conclavi situm obtinent, quatenus fenestris vel propiores, vel remotiores existunt. Pari quoque ratione calore vel auctæ, vel diminutæ vocantur, quatenus à fornace vel propius vel remotius distant. Observandum autem Mensam lumine atque calore naturali maximè diminutam fortius augeri artificiali, teste experientiâ.

§. 3.

§. 3. Eodem planè fundamento ultima subdivisio nititur, quoniam & hæc à loco desumitur, ubi mensæ aliæ superiores, aliæ inferiores evadunt, quatenus à januâ intervallo majori vel minori removentur. Ad Superiores (quod peculiariter observandum venit) & mensa in ordine quarta referenda est, quoniam medias planè exclusas volumus.

III. Radicatur verò Subjectum nostrum in Individuis: Quæ I. vel Veterani sunt, vel Neoterici. II. vel officio præditi, vel eodem destituti. III. Solares, Lunares, Martiales &c.

De subjecto hæctenus, tanquam corpore universo egimus; restat, ut de partibus ejus integranibus paucis agamus: hæc verò nomine veniunt individuorum, quorum multiplex est divisio: Primò enim vel veterani, vel neoterici sunt, non pro diversâ mansione in academiis, sed intervallo temporis potius, quo interfuere convictorio publico. Deinde officio alii præditi sunt, alii eodem destituuntur: quatenus alii Senioris, alii Pastoris, aut Judicis &c. munere funguntur, alii nullum eorundem obtinent. Denique ratione loci Solares alii, quidam Lunares & sic porro appellantur. Quæ omnia suo loco inferius sunt expedienda.

QVÆ-

QUESTIONES.

I. Num mensæ privatæ opponantur publicæ?

Per naturam suam mensæ privatæ quandam ad publicam fervant analogiam : ideoque essentialiter sibi contrariari nequeunt, cum & idem earundem Subjectum sit, & finis sibi mutuo respondens: Unum enim idemque subjectum modò publicam modò privatam rursus occupare mensam potest pro lubitu, quatenus aliquis vel delicatior est, vel assuetus omnibus ciborum generibus. Et impediendæ famis causa omnes instituuntur. Non autem implicat accidentalem earundem dari diversitatem: Etenim à se invicem diversa non statim sunt opposita. Et licet aliqua interdum intercedat oppositio, saltim mentalis illa est, nec universalis ob causas antea enumeratas.

II. An certæ mensæ haberi pro Subjecto debeant?

Universale Subjectum nostrum esse debet & perpetuum; Mensarum verò numerus, ut constat, modò augetur, modò minuitur, nec omnes omnium mensarum leges speciales hæcenus observatæ sunt, neque observatæ vulgari sine Fisci dispendio possunt. Ut mutationes taceam mensarum, unde nihil fixi de iis recenseri potest.

CANONES.

I. Mensa prima omnium constantissima est.

Reliquis enim temporis injuriâ pereuntibus, hæc, dum ullum superest Convictorii publici vestigium, manet.

II. Unica etiam mensa absolvere potest Subjectum Fiscologiæ.

Omnia enim in illam media cadere possunt, Quibus ibi repertis, & finis datur, quem exspectat. Neque est, ut pro famulis distincta mensa ordinetur, cum unicæ mensæ unicus satisfacere possit. Non autem existimandum, quasi unicum etiam individuum sufficiat ad constituendum Subjectum adæquatum: Nequit enim unicus homo fiscum propriè dictum colligere, neque computationem instituere accuratiōni Fiscologiæ convenientem.

III. Mensa ultima non consideratur in Fiscologiâ.

Si spectaretur, ut Subjectum spectaretur. Nunc quoniam nullo gaudet Fisco, neque pro Subjecto haberi potest. Et ratio constat ex Can. 2. Sect. præc. Potest tamen indirectè spectari, quatenus vel pars est convictorii publici, vel oppositi rationem sustinet.

IV. Men-

IV. Mensa ultima Lunæ asimilatur.

Non ratione motûs, quod motum Lunarem imitetur mensa, sed quod cum diversis Lunæ apparationibus quandam similitudinem habeat: Ut enim ☾ modò in ♄, modò in ♀ versatur, & modò gibba, modo corniculata apparet, ita mensa ultima modò aliqua modò nulla est, modò quoad unum, modo quoad 3. partes completa. Jam diversa motûs ratio, uti modo lumine auctam, modo diminutam reddit Lunam, ita mensa hæc numero modo augetur, modo diminuitur. Porro sicuti Luna suam tam ab Eclipticâ quam à terrâ distantiam mutat, ita hæc tam à foribus, quàm cathedrâ diversimodè distat.

V. Mensa ultima reliquis materiam subministrat.

Ex illa enim si qua alicujus mensæ pars deficiat, redintegratur, quoniam omnes præter ultimam mensas completas esse oportet, ideoque locus aliquis vacuus Subjectum occupans ex ultimâ petit. Non semper autem id valet, nec de omnibus mensæ ultimæ partibus; Possunt enim immediatè Novitii, vel qui eorundem loco succedunt, in mensam completam collocari, & emanere quoquè rebus ita poscentibus mensæ ultimæ membra.

VI. Novitii quàm maximè ad Fisci constitutionem concurrunt.

Non quod præ reliquis cognitione Fiscologica polleant; experimentalis enim illa est, & in veteranis tantummodo datur, neque ex præceptis proprio Marte hauriri potest; Sed usus necessario requiritur, quo si destituatur actio, Fiscologica dici non potest. Sed quod inscii atque inviti media amplectentur, & in leges atque traditiones gravissimè incurrant. Unde, cum mediorum frequens sit usus apud novitios, & finem eos faciliè assequi patet. Quare & deficiente aliquo mensæ membro in ejus locum substitui jure meritoque solent.

CAP. II.

DE

SUBJECTO TRACTATIONIS,

PRÆCEPTA:

I. Subjectum Tractationis est Fiscus. Qui certa est pecuniæ summa, collecta per media Fiscologica.

§. Fiscus communiter ea pecuniæ congeries dici solet, cujus quibusdam communis est usurpatio, à quibus licet non semper aggregentur æra, in omnium tamen usum expendantur. Quæ cum diversis Fisci speciebus definitio competat, restringenda h. l. ad nostrum peculiariter est; Licet improprie vulgò Fisci nomine æraria, aut vectigalia veniant.

S. 2.

§. 2. Quare summam pecuniæ Fiscum in definitione diximus, & talem præterea, quæ per media Fiscologica colligatur: Ut nec blanda alicujus verba, aut inanes numeros, multò minùs crumenam ære vacuum fiscum constituere constet. Ac requiri necessariò causam à quâ pendeat fiscus, & quibus modis restringi ac limitari debeat. Unde pecuniæ summa, non quatenus nummosa, sed collecta per media Fiscologica est, Fiscus in præsentì vocatur.

II. Estque vel Actu, vel Potentia.

§. 1. Fiscus Actu dicitur, qui reipsâ, & quoad materiam suam in sensus cadit, objiciturque Subjecto colligenti, à quo intueri oculis, manibusque palpari possit.

§. 2. Fiscus Potentialis ille appellatur, qui ob causarum constituentium obscuritatem animo saltem concipi debet, in ipsam tandem realitatem perventurus. Ubi præprimis tenendum, certo eum in re fundamento niti, cujus ope emergere ex abstractione possit, & in statum postea realitatis deduci.

QUESTIONES:

I. Num Fiscus non numeratus sit legitimus?

Notum ex præcedentibus est, per Fiscum certam ac determinatam pecuniæ summam

indigitari. Non quasi numerari, & cognitus esse nobis ejus numerus necessario debeat. Hic enim accidens est, & melioris tantum cognitionis causâ rei superadditur; Sed in ipsâ existere ea certitudo debet, ne aliquid evadat infiniti. Cum ergo ex accidenti numeratio superveniat, & intellectus ratione, rei veritas, quæ extra intellectum est, impediri nequit. Habet enim omne corpus naturale quantitatem suam certam ac determinatam, licet quandoque extra cognitionem nostram positam.

II. An peccatum aliquod evitans detrahat Fisco?

Omnis privatio præsupponit habitum: Jam ubi nullus est habitus, ibi nec locum invenit privatio. Igitur si detrahi aliquid fisco debeat, quod detrahatur adesse debet, nisi imaginaria defraudatio detur. Quapropter non est hæc loquendi subtilis consuetudo: Quanquam enim aliquis impedire possit media fisci bono instituta, non sequitur tamen evitando illum peccatum aliquod defraudare fiscum, cum non dederit ante quod subtrahat, mediis aliquid omissione.

CANONES:

I. Fiscum minuente summum nefas.

Com-

Commune bonum fiscus est. quod qui minuit, furtum committit. De diminutione autem loquimur injustâ, nec omnibus Fisci possessoribus consentientibus institutâ. Deinde voluntariam solummodò diminutionem respicit canon, qui enim seipso inscio & invito id agit, delictum magis committit, quàm nefarium scelus.

II. Fisci benè constituti rursus constituentium fletus est, & contra.

Ridere Fiscum non eo modo dicitur, quem Democritus cum affeclis inculcavit, hominem esse putans, cujus nomen Fiscus sit. Postea verò cum in singulis mensis fiscum ridentem observasset, ratiocinatus plures ejus nominis Fiscos esse, quorum alter alterum irrideret. Hanc nostram non facimus sententiam, cum & sana ratio, & observatio frequens aliud nos doceat: ridere nimirum fiscum improprie loquendo quoad bonam constitutionem. Qui intrinsecus ridendi modus uti non statim parit extrinsecum, conspicuum in fisci possessoribus ita nec temere illis assentiendum, qui non ultra suum captum sapiunt. Dari verò inter Fiscum & eum augentes singularem antipathiam, tam manifestis observatum experimentis est, ut nemo amplius inveniatur, qui reluctari audeat: Flente nimirum fisco cachinnari cultores.

ejus, & Fisco cahinnante illos contra collacrimare. Cujus tamen rei eadem *ἀρχίβρα* est, quam antea docuimus, quum risus homonymiam explicarem.

III. Fiscus Potentialis non cadit in marsupium.

Nondum enim collectus est, sed in debitoribus hæret, à quibus exigi demum cupit, & commendari marsupio asservantis.

IV. Fiscus sæpenumerò mixtus evadit.

Ita ex præcedentibus licet argumentari: Cum enim non tam ex nummis quàm debitis fiscus constet, in uno Subjecto duplicem inveniri essentiam patet.

V. Fiscus Potentialis lubricus est.

Lubricus ideò dicitur, quod causis lubricis actualis evadat. Jam deficientibus causis, & aberrantibus ab effectu, nec ipse effectus suam perfectionem assequi potest. Hæret autem ea lubricitas in intellectu, cum reipsâ existentiam vel certam habeat, vel nullam.

SECTIO

SECTIO III.

De

MEDIIS.

CAP. I.

De

REDITIBUS FISCOLOGICIS.*PRÆCEPTA:*

I. Reditus Fiscolegici sunt Media Constitutiva Principalia, necessario fiscum constituentia.

Reditus á redeundo dicuntur, quod certis quasi vicibus redeant. Non autem pro quibuscunque mediis principalibus, aut solis peccatis, multò minùs pro ære illo, quod ex redbibus resultat, h. l. sumitur vocabulum: Prioribus enim modis vel cum peccatis aut donationibus, vel cum fisco confunderentur; Sed pro causâ eâ per quam necessario fiscus augetur. Unde duplex in definitione conceptus, genericus & differentialis offertur: ille mediis absoluitur principalibus, hic ab intentione efficientis desumitur, quem jubentibus ita legum traditionumve præceptis agere ex intentione oportet. Et quia non semel, sed sæpiùs, imò determinatis temporibus accidunt reditus, ordinariorum mediõrum ambitum cum peccatis emetiuntur.

C 5

II. Di

II. Dividuntur in Mensales, & Officiales.

Vel enim mensali, vel officiali mutatione nuntantur. Mensæ quidem mutatio vel essentialis, vel accidentalis est: essentialis ipsas personas respicit, quæ mensam vel accedunt, vel alium in eâdem locum acquirunt, unde Accessus originem trahit, & Mutatio loci. Accidental, quatenus novellæ accedunt comparandæ, hinc ad easdem contributio. Officia verò vel hebdomadica, vel solo festorum tempore mutabilia hîc respiciuntur.

III. Accessus est Loci in mensâ vacui occupatio: Estque vel Primus, vel Ortus.

Locum hîc non qualemcunque intelligimus, sed eum, quem unam solummodò personam semper tenere oportet, quamdiu mensâ utitur. Hujus prima ad considendum occupatio Accessus vocatur. Estque ratione Subjectorum duplex: primus & ortus. Primum appellamus, quem Novitius primum efficit, Ortus verò dicitur à quocunque Commensalium mensam aliquam secundâ, vel terciâ &c. vice accedente.

IV. Mutatio Loci est Variatio ubi mensalis, mensurata secundum prius & posterius. Non

Non ea locum hic invenit mutatio loci, quæ Physicæ considerationis est, & cum motu corporum naturalium coincidit, sed restricta ad subjectum Fiscologicum. Quare etiam cum addito mensalis appellatur. Ut autem omnis motus tempore mensuratur, ita & hæc mutatio loci in partem anteriorem & posteriorem subdividitur. Fitq; vel à loco deteriore ad meliorem vel à meliore ad deteriore, quam pejorationem & meliorationem vocant Scholastici. Quorum prior digniorem in Fiscologiâ locum obtinet.

II. Novellarum constitutio est receptio earundem in mensâ, & receptarum conservatio.

Novellæ rerum in orbe nuper gestarum indices sunt, & è variis locis huc afferuntur: Unde vel Lipsiensium, vel Berolinensium nomen acceperunt. Quæ simul ac in mensis recipiuntur, certa pro iis numeranda pecuniæ summa est, è symbolorum collectione redundans. Cum verò fieri facile possit, ut qui æra ad novellas porrexit, mensam relinquat, & in ejus locum succedat alius, conservare hunc numerum contributionis fas est ne gratis audire novellas videatur. Par ratio cum Libro Judiciario est.

VI. Reditus judicialis est, qui singulis septimanis ex officio Judicis proficiscitur.

Redi-

Reditus hic omnium frequentissimus, maximeque necessarius est. Fieri enim solet interdum, ut nullum principale medium sese offerat, quo fiscus constitui possit. Quare, ut potentialis nunquam extingvatur fiscus, Judex eum ordinarius conservare debet, augendo 3. gr. Vel autem Reditus ille totalis, vel partialis, ratione subjectorum fit, quatenus aliquis vel mansione, vel successione Judex evadit.

VII. Reditus ex Pastoratu, vel Custodis officio est, qui feriis ad contributionem aptis à Pastore vel Custode propullulat.

In quo Pastoris, vel Custodis consistat officium, infra explicabitur, nunc redundantes ex iis solummodo reditus perlustrandi. Igitur ad quem feriis ad contributionem aptis munus hoc devolvitur, reditum parare Fisco tenetur, qui in aliis contributio appellatur: Distinguenda tamen à redivibus accuratè contributio est, quod hæc vincatur ab illis magnitudine, & in diverso præterea subjecto fundetur.

QUESTIONES:

I. Num rectè Accessum totalem solvere dicatur, qui 4. gr. sese liberat à peccatis?

Cum non determinata xris summa accessus appelletur, sed causa potius ex quâ eadem redundat, neque h. l. eam pro accessu
totali

totali fumi convenit, quæ à novitiis solum. modò proficiscitur; licet ab eodem vulgo non soleat distingvi, eâ fortè occasione, quod cum accessu sæpius jungatur: Perस्पicientibus enim mensarum asfeliioribus vel mensæ severitatem, legesque occultatas, vel suam ad peccandum proclivitatem, certum pro incerto eligunt omnium assensu. De quibus infra commodius agetur.

II. An Reditus Judicialis possit abrogari?

Quodcunq̃ue abrogandum est, vel ob inhonestatem, vel inutilitatem quandam abrogatur. Quare cum reditus è Judiciali officio proveniens maximè honestus sit, jubentibus legum præceptis, & ad fiscum efficiendum præterea utilissimus, non ob apparens aliquorum incommodum removendus est, quum hi ipsi non bono communi, sed propriæ utilitati studeant. Nec propter malum ex accidenti resultans improbandus est legitimus bonæ rei usus.

CANONES:

I. Contributio non est Reditus.

Neque enim Subjectum ređitibus proprium ipsi competit, nec, si abstractè consideretur, computationem respicit. Particulare enim omne ređituum Subjectum est, & ordinarius finis computatio. Quod autem omnes

tan-

tangit, id propriè fiscum constituere nequit; quanquam apparenter, & ad vulgarem loquendi modum illum constituere videatur. Eâ enim ratione & ultimæ mensæ fiscus competeret.

II. Accessus & Contributio ad Novellas Librumque Judicarium simul sunt tempore.

Fluunt enim ex se invicem: Quare posito accessu, concessis requisitis supra traditis, ponitur novellarum atque libri judicarii conservatio. Quamprimum enim aliquis mensæ associatur, hæc tria sese offerunt, quorum prius è legibus, posteriora vero ex assessorum placitis derivantur.

III. Reditus Pastoris atque Custodis sæpiùs fit duplicatus.

Neglecto nimirum legitimo ejus usu, qui à subjecto suo, à quo proficiscitur, intermitti nolens, tantas sibi vires conciliat, ut qui reditus antea simplex erat, nunc fieri duplus incipiat. Quorum fundamentum è legibus Fisco-logicis (leg. 36.) afferri solet,

CAP. III.

De

PECCATIS,

PRÆCEPTA:

I. Peccata sunt Media Constitutiva Principalia ex accidenti fiscum constituentia.

§. 1. Peccata hîc non qualiacunque intelligimus, sed quæ Fisco-logicæ considerationis sunt: Habet enim & Respublica & S. Theologia quæ peccata appellantur, Quin & à Fisco-logis diversimodè sumi peccati solet vocabulum, confundendo vel cum Traditionibus, Reditibusque, vel cum ipsis fisci partibus integrantibus. Hujus autem loci peccata ad Subjectum nostrum restricta habemus. ac fini hujus habitûs applicata.

§. 2. Cæterum conceptu communi à re-ditibus non differunt peccata, restringuntur tamen peculiariter, eò quod ex accidenti in fisci essentiam influant. Non quod non præmeditatum aliquod dari peccatum possit, excitarique transgresoris animus ad subeunda hæc de re consilia; sed quod non necessaria sint, nec uno sese semper modo habeant ad subjectum,

ab-

ab eo, quod sæpius contingere solet, sumtâ denominatione.

II. Fundamentum & radix Peccatorum sunt Leges: Quarum natura primò omnium explicanda.

In hoc à traditionibus peccata differunt, quod certo quodam fundamento nitantur, & *ἔγγραφα* sint legibus, sancitis à Magistratu Academico: illa ex communi commensalium consensu æquitati conformata, ad supplenda media principalia. Notandum verò in præsentî, quasdam peccatorum species directè, quasdam indirectè ex iis deduci, asferique vel *κατὰ τὸ πρῶτον*, vel *κατὰ διάνοιαν*, ac spontaneam consecutionem. Non verò solum peccatorum causâ has institutas esse leges censendum, sed honestati etiam inservire, ac ordini mensali. Ordo verò earundem artificialis est, non naturalis, quem nos juvandæ memoriæ causâ h. l. sumus secuti.

III. Dividuntur in Communia & Propria.

Ita majoris evidentiæ causâ divisimus, aliis in absoluta & respectiva, simplicia & mixta &c. dividendum. Non quod hæc magis accurata divisio sit, sed quia notior magisque usitata. Inspicientibus enim nobis universalem peccatorum ambitum alia primo, alia se-

secundariò offeruntur. Non quasi propria deduci è decalogo nequeant, sed quod medi-antibus aliis rebus ex eodem resultent, quæ indirectè solùm & extrinsecè Fisciologiam afficiunt.

IV. Communia sunt, quæ è Decalogo immediatè deducuntur: Suntque Profanatio Nominis divini, Execratio, Risus inter preces, earundemque omissio.

§. 1. Formalis ratio communium peccatorum in immediatâ è decalogo deductione consistit, quatenus cogitando intellectus noster primò eadem inde fluere concipit, nullâ aliâ causarum interveniente. Radicantur autem in secundo decalogi præcepto in universum omnes, non quod graviora non dari potuissent, sed quod animadverti præ cæteris facile queant.

§. 2. Ac ut de Nominis Divini profanatione ordiar, actus ea linguæ est, vel invito animo verba Divino Nomini injuriosa proferentis. Fitq; vel nominatione ejus citra necessitatem, vel quocunq; juramento facto per supremum Numen. De quibus evolvi catecheseos explicatores possunt. Execratio est actio linguæ ac effudentis verba creatis rebus noxia, idq; vel simpliciter, unde Maledictio, ex intenti-

D one-

one aliis infausta vovens, vel respectivè hinc juratio, Pejeratiove, certâ conditione vel sibi, vel aliis damnum apprecans. Ubi nulla tamen verborum aposiopesis valet.

§. 3. Rîsus inter orandum est faciei orisve manifesta inter orandum diductio. Unde alienos non esse liquet à Phycâ risûs definitione, quod manifestus hîc esse rîsus debeat, cum is pileo interdum soleat occultari. Denique Omîssio precum est cibi apprehensio, vel à mensâ discessio non edito signo precationis: quale signum admotione pilei ad faciem, enunciatoque, quo se orasse aliquis fatetur, usitatè absolvitur.

V. Propria sunt mediantibus rebus Fîscologiam afficientibus è Decalogo fluunt: Suntque Nauseificatio, vel motio nausæ, Anticipatio, Electio, Panis divisio inordinata, Tuburcinatio, Boli factio, Limitum transgressio, Vociferatio, Pulsatio, Impulsio ad ridendum, Panis in mappâ divisio, Orbium, aliarumque rerum fractio.

§. 1. Cum de priorum peccatorum naturâ explicatum supra sit Præc. 3. non erit operæ pretium, in præsentî eam fusiùs declarare, cum & facilis ea res intellectu sit, & exponere eandem opposita iis communia videantur.

Ob-

Odservandum ergo in præfenti tantùm hoc fuerit, variis sese invicem respectibus respicere hæc peccata, distinguique multis modis vulgò solere. Quas tamen recensere distinctiones, sub divisionesque, intricare potius est rei naturam, quam eandem luci exponere. Sed harum omnium divisionum accuratissimæ sunt, quæ à rebus Fiscologiam modo dicto afficientibus petuntur.

§. 2. Igitur quid Nauseæ excitatio, quæ barbarè nauseificatio appellatur, vulgò fit, dictu haud est difficile; non vulgata tamen rem satis expedire definitio potest, sed addi simul apparens indicatio debet, exulans interdum à rei veritate, Cæterum singulas ejus indicare species supervacaneum est, cum tot modis subdividi nauseatio queat, quot aliàs actiones Fiscologicæ solent.

§. 3. Anticipatio est particulæ panis extra ordinem arreptio, Electio verò est contrectatio plùrium cibi partium unâ earundem retentâ. Ac inordinata denique panis divisio actio est Pastoris, vel Custodis, panem, in partes dividētis. Quorum fundamentum ut teneamus, sciendum h. l., Pastorem in capiēdo pane primas tenere, quod & infra, ubi de officiis nobis agendum, explicabitur. Deinde non requiri ad accurationem Electionis, ut melior pars eligatur, sed satis esse, si manu plures ejusmodi partes attingantur.

Dz

Hinc


Hinc spontè consequitur, formam ejus in externâ contrectatione consistere. Denique non respici singulorum mensuræ assessorum ordinem in dissecando pane, sed eorum duntaxat, quibus ea actio ob primæ electionis & divisionis repugnantiam interdicitur.

§ 4. Tuburcinatio de finiente Philoxeno, est ciborum in ore adhuc existentium superfætatio. Quæ licet allegorica definitio sit, nulla tamen magis exprimere rei quidditatem videtur. Explicari quoque facile potest: Aditâ enim ejus formâ nullo prorsus negotio intelligitur, quid sibi velint autores: Ea verò non, uti leges volunt, repentina comestio est, sed usu hæctenus receptum omne id tuburcinationis nomine appellari, quod speciem refert manumissionis, ut ita dicam in patinam, nondum comesto bolo anteriore. Cæterùm absurdissima hujus vocis significatio est quâ pro bombisatione à quibusdam accipitur.

§ 5. Bolifactio est, quâ quis bolum è patinâ capit, pro capacitate oris justo majorem. Quæ cum ita sese habeant, pronum est colligere adæquatam Bolifactionis subjectum patinam esse, ac oris quoque rationem haberi, cujus capacitas, quâ ratione indanganda sit, operationes Mathematicæ docebunt ad usum hujus Disciplinæ accommodatæ. Observandum

dum autem de aggregatione raparum, fiserumque est, haberi eandem pro quâdam quasi specie bolifactionis, ac fuscina vulgò peragi, iisdem undiquaque repletâ.

§. 6. Limitum Transgressio est, quâ motus manuum rectilineus patinam versus aberrat à lineâ ductâ à lateribus mensæ ad concursum reliquarum in centro. Vicinitas vero est, quâ manus patinam versus moventur in lineis minimo inter se arcu distantibus. Quod ut faciliùs intelligatur, delineetur quadratum A B C D, dividaturque per diametros



diagonales, ac ejus inquiratur centrum, singulis porro lateribus pro ratione assessorum divisus per puncta opposita ducantur rectæ lineæ concurrentes in E. Quo facto altero circini pede posito in centro E, altero verò ad lubitum extenso describatur circulus transiens per lineas in lateribus quadrati terminatas. Denique ex punctis Q & R minores describantur circuli, ac connectantur puncta I & R per rectam I R, & extractum erit schema quòd faciendum proponebatur. Quibus positus esto in adjecto diagrammate patinæ locus in E, mensa verò A B C D, numerum assessorum complectens: Sitque manus in Q posita, motum suum rectilinearem exercens. Quo pacto quodlibet in lateribus quadrati punctum moveri versus centrum in sibi competente lineâ concipitur, ita ut, dum illud à C versus E proficiscitur, unà manus ab I versus Q, progrediatur, redeundo ad I. Dico ergo I: Lineam I R transgressionem limitum mensurare: Cum enim manus in I, constituta motu suo rectà versus E per Q ferri deberet, ad Iatus subindè deflectit, concursum cum ipsâ KE faciens in R. Cumque proprius ejus limes sit in Q, ab eodem versus R litem alterius manus in K constitutæ recedit. Dico II: Manus ex punctis I & K rectà versus centrum promotas vicinitatem committere: Nam cum quæ ex iis describuntur rectæ lineæ mini-
mo-

mo à se invicem arcu circuli distent, confecta-
neum erit eas sibi quoque vicinas existere.
Quod erat demonstrandum.

§. 7. Vociferatio est, quâ quis sonum e-
mittit ingratum assessoribus mensæ. Pulsatio
verò est strepitus editus instrumentis Fiscolo-
gicis. Impulsio denique ad ridendum est,
quâ quis causatur alteri risum. Ubi i. obser-
vetur tam ore, quàm cæteris corporis partibus
aliquem vociferari posse, ac sonum sæpius
ingratum emitti. Deinde instrumenta pul-
sandi communissima esse patinas, orbis cul-
trosque, quorum omnium frequentissimus
usus est. Denique impelli aliquem vel di-
ctis vel factis ridiculis posse, ut scandalum
propterea Fiscolologicum dici hæc actio mere-
atur.

§. 8. Denique quod ad ultimam peccato-
rum classem attinet, sciendum de iis est,
radicari quodammodo in mensæ apparatu:
noto enim apparatu mensali innotescit quoq;
varietas eorundem. In præsentī communis-
simam eorundem divisionem observasse suffi-
ciat, quâ in Causalia & Actualia dispescuntur.
Causalia appellamus, quæ causa solum esse
possunt detrimenti facti in appaaratu mensa-
li; sed actualia, quæ actu semper in earum
rerum perniciem vergunt. In priori ordine
Panis in mappâ divisio, in posteriori orbium
aliarumque rerum fractio recensetur.

QUÆSTIONES.

I. *An pro Juramento sit habendum, si quis dicat: Mein Seel?*

Cum verba sicut nummi valeant, & eorundem variare sententia potest: Quapropter si quis verba citata in quæstione proferat, nec jurandi materia adsit, nullo modo jurâsse statuendus est. Ita sine ullâ juramenti suspitione dicitur: Mœsta est anima mea usque ad mortem.

II. *An oculis aliquis possit tuburcinari?*

Adæquatum tuburcinationis instrumentum manus est, cui comes os adjungitur. Valdè itaque *αὐλῶς* ea dicuntur, quæ de oculis vulgò afferri solent; Licet palpebrarum sæpius iterata motio tuburcinationis speciem quodammodò repræsentet.


III. *Panem in quatuor partes ritè secare?*

§. 1. Problema hoc licet Mathematicum sit, ne proprium hujus loci, ob summum tamen, notissimumque ejus in Fiscologiâ usum huic Capiti inserui nullam, ut spero a methodiam committens.

§. 2. Quapropter cognitâ primùm panis figurâ pronum est colligere, quâ ratione secandus sit: Ea verò non perfectè circularis, sed Elliptica quodammodò est, Sphæroidem

re-

repræsentans ; reduci tamen vel ad Cubum



vel planum circuli debet, ut dividi faciliori negotio possit. Ac quod reductionem ad Circulum attinet, è centro A in plano describatut circulus, dividaturque per diametros orthogonales in 4. quadrantes, notatos lite-BCDE. Cui similis è regione describatur, cujus peripheria æquetur circumferentiæ panis. Quo facto panis in eodem reponatur, ac punctis in eodem notentur extremitates diametrorum, ducanturque lineæ BAD, & CAE, in quorum puncto sectionis A culter perpendiculariter erectus, modusque ab A versus B, ac retrogressus adD. similiter ex eodem puncto in C & E motus panem in quatuor partes æquales secabit. ὅπερ ἐδει δῆξαι.

D. S.

CA.


CANONES:

I. Panis absentis non potest anticipari.

Sensus hujus axiomatis est: non augeri Fiscum anticipatione particulæ, cujus possessor nondum in loco sibi destinato existit: Quamprimum autem aliquis in sibi competentem locum venerit, legitima habebitur anticipatio, quod verò de pedis ultra scamnum dimissione intelligendum.

II. Datâ Prosthaphæresi angulorum segmenta panis inæqualia ad æqualia reducere.

Delineetur in chartâ recta A B, eique



utrum-

utrumlibet imponatur latus; Cujus termino ac lineæ eidem infistentis Semicirculus minor ritè adaptatus excessum vel defectum á 90 gr. monstrabit. in Oxygoniis addendum, in Amblygoniis vero subtrahendum, ut emergat vera Quantitas segmenti desiderata.

III. Electio mensæ est completæ ultra dimidium.

Idem h. l. accidit, quod in cæteris peccatis solet. Tollere enim peccata quoad usum possunt, qui mensæ alicujus dimidium non attingunt. Quare liberum tuum temporis assessori est optimam panis particulam eligere, quemadmodum licitum est, electam modò particulam in locum melioris reponere, numero assessorum completo.

CAP. III.

De

DISCRETIONIBUS.

PRÆCEPTA:

I. Discretiones sunt Media Constitutiva Principalia, Extraordinariè Fiscum constituentia.

§. I. Discretiones Generatim sumto vocabulo, illa appellantur media, quæ nec realiter, uti Reditus, nec in ideâ quâdam, uti pec-

peccata præcognoscuntur. sed extra omne intellectûs ratiocinium collocata Fiscum constituunt. Quarum ergo tempus definiri nequit, idque ideò, quod subjecto particulari destituuntur. Appellari verò à discreto animo, licet barbarè Discretionem, docet Grammatica hujus vocis Etymologia.

§. 2. Notandum verò peculiariter est Discretionem hoc loco non pro ipsâ Liberalitate accipi, sed pro causâ sumi, per quam extraordinariè Fiscus augetur, abstrahi ideoque ab omni matetiâ accidentali debere. Unde Genus quoque earundem cum reliquis in Definitione convenit, differunt autem ab iis extraordinario in Fiscum influxu.

II. Suntque vel Primæ, vel Ortæ.

Aliorum ineptas Divisiones prætereundo didicimus, hanc omnium esse accuratissimam quæ ab ipsâ rei formâ resultat. Quâ ratione absurdissimi sunt, qui Discretionem in Donationes & Discretionem in strictè sic dictas dispescunt. Accuratam verò nostram ideò diximus quod adjuncta formæ diversitas eandem suppeditet, excellentia nimirum & defectus cum Discretionibus concrescens. Hinc Primas appellamus, quæ sponte à quodam mensæ membro redundant, Ortas verò quas data ansa multifariam efficit.

QVAE

QUÆSTIONES:

I. Num dolium cerevisia, quod universo donatur convivio, sit in Discretionibus numerandum?

Inveniuntur inter autores, qui cerevisiam, cujus in legibus fit mentio, Donationum nomine insigniunt, numerarique in Discretionibus volunt: Cujus quidem rei rationem afferunt, quod Fiscum ea augeat donatio; Verum enim verò cum nec Subjecto gaudeat Fiscologico, nec ad Finem proprè tendat, exterminare eam malui è septis Fiscologicis, quàm retinendo eam universum opus confundere. Quanquam enim Discretio possit ea cerevisia appellari, cum mediis tamen confundi nequit, sed ad Finem potius Fiscologiae spectat.

II. An dentur Discretionibus coacta?

Omnis Discretio vel ipso testante vocabulo è discreto animo est: non igitur cogi ejus Subjectum cupit: Quanquam receptum vulgò sit interveniente Discretionibus aboleri peccatorum nomen.

CANONES:

I. Primæ Discretionibus omnium nobilissimæ sunt.

A nobilissimo enim animo profiscuntur.

nec

nec uti Ortæ aliunde suæ nobilitatis initium trahunt.

II. Discretionones non mensurantur tempore.

Quanquam diebus potissimum bratibilibus fieri soleant discretionones, restrictæque vulgò ad Onomasteria, Personasque sint, non ea tamen hujus rei necessitas est, ut eventus particularis immutare ipsius rei essentiam possit. Manent ergo Discretionones ullo tempore indeterminabiles.

CAP. IV.

De

OFFICIIS FISCOLOGICIS.

PRÆCEPTA:

I. Officia Fiscologica sunt Media Constitutiva Minus Principalia, Fiscum externè dirigentia.

§. 1. Emensus hæctenus sum naturam mediõrum principalium, docebamque realiter ea influere in essentiam Fisci; nunc ordinis ratio jubet de instrumentalibus quoque sollicitari.

§. 2. Conceptus ergo Genericus Officiorum Fiscologicorum cum mediis quidem Principalibus communis; distinctus Differentialis tamen tam ab illis, quam à traditionibus

nibus instrumentisque multifariam est: Neque enim uti principalia Fiscum realiter augent, sed ut causa sine qua non operantur tantum à posteriori, nec aliorum minus Principali-um officium præstant. Unde ab instrumen-tis Fisco logicis Fisci directione, & externâ quidem à Traditionibus discernuntur.

II. Dividuntur in Mobilia, & Immo-bilia.

§. 1. Petita est Divisio ab adjunctâ circum-stantiâ temporis, vel determinati, vel inde-terminati, concrefcentis cum Officiis Fisco-logicis. Unde Mobilia dicimus, quorum mutatio certis temporibus accidit; Immo-bilia verò quorum duratio nullo tempore men-suratur.

§. 2. Mobilium rursus quoddam Hebdo-madicum est, ut Judicatus, quædam è *ἡμέρα*, singulisque diebus mutabilia, ut Pastoratus, Custodia ac Officium Divisoris. Immobilia vel mensæ vel universo convictorio inservi-unt: Prius Senioratus postereus Lectoratus præstat.

III. Senioratus est Officium Fisco-logicum Immobile, quo quis mensam di-rgit, ac moderatur.

Senioratus non ideò dicitur, quod ætatis semperratio habeatur in Senioribus eligentis

De

De quorum electione & administratione tenendum, per vota singulorum Commensalium in orbe scripta, ac postmodum recitata solenniter eligi Seniores, inaugurarique Computationibus ac gratulationibus solere. Quibus cura demandata est totius mensæ, tam quoad Fiscum, quam ordinem mensalem, evocarique inter epulas per puerum solent, quotiescunque aliquid vel decernendum occurrit.

IV. Lectoratus est Officium Fisco immobile, quo quis Convictorio à prælectionibus est.

Prælectiones istæ à Bibliis sacris & Sleidani historiâ alternatim fiunt, communiq̄e oratione clauduntur. Officium verò Immobile Lectoratus, quod rarissimè Subjectum mutet, appellatur, cui cerevisiæ quoque in mensas distributionem convenire experimenta docent.

V. Judicatus est Officium mobile *εβδομαδικόν*, quo quis Fisco per unius Septimanæ spatium præest.

§. I. Mobile Officium Judicatum ideò in Definitione diximus, quod in aliud subinde Subjectum necessario cadat ac *εβδομαδικόν* præterea, quod fieri illud singulis septimanis soleat, dedimusque porro Fisco directione differentiam

tiam: Regit enim servatque Fiscum vigilantī curā, judiciique acrimoniā Judex, historiam ejus aucti diminutique, uti infra docebo, singulis septimanis pertexens.

§. 2. Cæterum quod ad varietatem hujus officii spectat, ea omnis à mutabilitate, non essentialiter tamen, sed accidentaliter diversâ dependet. Quod si enim ista mutatio in Subjectum loco proximo constitutum incidat, Ordinarium, sin minus, Vicarium Judicatum efficit. Quæ omnia lucem ex infra demonstrandis scenerabuntur.

VI. Pastoratus est Officium Mobile ἐφήμερον, quo quis per unum diem primas tenet in capiendis cibus. Dividitur in Solarem, Lunarem &c.

§. 1. Per proprium differentix loco Pastoratum descripsimus, prærogativam nimirum in capiendis cibus, quâ à Custodiâ, cæterisque ejus generis officiis præcipuè discernitur: Præcipuè dico: Nan & alia ejus propria dantur, opscuriora tamen, quam ut peti inde differentia queat.

§. 2. Fundamentum allatæ divisionis in adjunctâ circumstantiâ loci Subjectum afficientis consistit: Quanquam enim à diversitate Ciborum, quibus initiatur Pastor, suas alii divisiones deducant, suosque Größ / Neben- ac Lummel Pastores recenseant; Tamen eum specie

E

cificæ

cificæ non sint recensitæ divisiones, aliud hu-
jus rei fundamentum docebo: Hypotheticè
igitur mensâ in partes 14. divisâ, responderè
numerum partium numero dierum hebdo-
madico duplato manifestum est. Quare ad
modò dictam dierum, Planetarumque iis
competentium analogiam Pastorum, singu-
laque inde Officia diurno tempore determina-
ta distinxere Majores, modo infra in Canoni-
bus explicando.

VII. Custodia est Officium Mobile
Ἐπιμετρον quo quis in capiendis cibis Pa-
storem immediatè sequitur.

Immediatè dico: Nam & alii Pastorem se-
quuntur modo, quo in Præc. docui, mediante
tamen Custode. Cæterum cur per immédia-
tam successionem, nec per infusionem, aliudve
proprium hoc Officium descripsim, cum re-
liquis eò pertinentibus discatur é præcedenti
præcepto.

VIII. Divisio est Officium Mobile
Ἐπιμετρον, quo quis cibos ordinariè secat
in partes.

§. 1. Divisio h. l. non qualemcunq̄e divi-
dendi actum, nec ejus habitum, multò minus
speciem illam Arithmeticæ Computationis
notat, quâ major numerus per minorem actu
distribuitur, sed medium externè Fiscum diri-
gens,

gens, quod Officium aliàs Divisoris appellamus. Observ. autem ἐΦύσεσιν hoc officium ratione specierum dici, quâ in Primarium, Secundariumque dividitur.

§. 2. Præterea, quod circa Divisionem notetur, Primaria Divisionis administrator Divisor, Secundariæ verò Purgator (Schüffelpußer) appellatur; Terminus enim Trenchicandi a Fiscologiâ exulat.

QUÆSTIONES.


I. *An pueri mensæ cerevisiam afferentis officium sit Fiscologicum?*

Ridicula planè eorum sententia est, qui asserere non dubitant, puerum illum officium Fiscologicum obtinere, qui mensæ cerevisiam affert; Sed suam planè inscitiam produnt, & inexperientiam rerum Fiscologicarum. Neque enim Fiscum vel auget vel minuit puer, licet vasa quandoque confringat, ineptiusque sit molestus. Deinde puer iste nec Studiosus est, nec aliam quàm accidentalem Fiscus notitiam habet. Denique officium illud puerile potius servitium est, unde mensa illo carere nullo modo potest.

II. *Vicissitudinem officiorum Fiscologicorum declarare.*

§. 1. *Quam in rem descripto in Schemate ad Præc. 5. Capit. 2. Sect. hujus proposito parallelo*

rallelo orbis patinæ, spatiiſque lateralibus bifariam ope diametrorum diviſis, impoſitiſque Planetis parallelorum ſpatio, ita ut ☉ MN, ☾ ſpatio MA imponatur, eſto Senioris locus



in medio ſpaciū MN, qui ſimul Paſtor fit, ſequaturque Cuſtos loco ſequenti Lunâ ſignato. Diviſorum verò officia in Saturni, Veneriſque loca incidant, Primarii quidem Venere determinatum, Secundarii verò Saturno. Sitque Judicatus SSS progrediens in K. futurus in A elapſis 7. diebus. Quibus ita conſtitutis manifeſtum eſt Senioris locum immobilem Sole deter-

determinari, in eumque simul die Solis Pasto-
 ratum alternatim cadere. Mobilia verò offi-
 cia ita sese invicem excipere, ut in eum locum,
 quem die Solis Pastoratus tenet, sequentibus
 Lunæ Martisque diebus Divisio cadat, fuerit-
 què ibidem die **H** præcedente Custos. Judi-
 catum denique ordinarium in **K & I**, in **A** verò
 vicarium esse.

§. 2. Cæterum ex dictis hætenus facilè col-
 ligitur, Pastori Divisionem non competere:
 Cum enim Planetæ in orbe parallelo juxta no-
 stram hypothesin perpetuâ quiete gaudeant;
 contra verò officia moveri in consequentia fi-
 gnorum statuuntur motu prorsus æquali, ita ut
 absolutis 14, diebus idem punctum repetant,
 à quo ante totidem dies erant digressa, diversa
 officia uno eodemque tempore sub eodem
 versari Planetâ falsissimum erit: Quod si
 enim unum altero tardius moveretur officii-
 um, aut alterutrius statio concederetur, non
 esset eorundem motus æqualis, quod est con-
 tra hypothesin.

§. 3. Quod verò relationem horum officio-
 rum attinet, quisque Planeta sibi ipsi opponi
 statuendus est. Cujus rei usus in eo consistit,
 quod personæ in oppositis Planetarum locis
 constitutæ bibendo inter se conferantur, ita ut
 ille apud quem dato tempore actu officium
 est, primus poculum capessat, sequaturque ei

oppositus, hac de re Contra-pastor appellatus.
 Quæ singula h. l. demonstranda proponeban-
 tur.

CANONES:

I. In Seniore non cadit Judiciale officium,

Non necessitate absolutâ, quâ ratione Pa-
 stori Divisio ac Custodia competere nequit,
 sed respectiva in ordine notæ contrarietatis.
 Esset enim aliàs Judex propriorum peccato-
 rum censor.

II. Possunt Pastor, & Custos Jus suum dispensare.

Id est facere vicino potestatem ruendi in
 patinam, quando scilicet ipsi vel cibum re-
 spuunt, vel nondum sunt ad eum capiendum
 parati.

III. Impossibile est Divisori cedere
 optimam carnis partem.

De parte solùm apparenter optimâ, legiti-
 mâque acquisitione loquor. Deinde de eâ,
 quæ per se optima est h. l. agitur particulâ; po-
 test enim ex accidentali frustillorum aggre-
 gatione optima colligi pars, Divisoriqûe con-
 tingere.

IV. Divisio in partes sibi invicem
 æquales fiat.

Expli-

Explicandum id ipsum tam de pane, quam reliquis cibis divisibilibus est. Ac quomodo panis in tot partes, quot unitatibus numerus personarum constat, dividendus sit, Quæst. 3. Cap. 2. hujus Sect. notatum: Pro carne verò observetur. bifariam prius eadem divisâ, collocataque in duabus patinis, singulas portiones in partes vel æquales vel inæquales pro ratione assessorum secari, ac æquationem postea institui prosthaphæreticam, quâ majori aliquid admittitur, minori rursus addendum, ut habeatur vera quantitas particularum, numero assessorum respondens,

CAP. V.

De

TRADITIONIBUS.

PRÆCEPTA:

I. Traditiones sunt Media Constitutiva Minus Principalia, Fiscum internè dirigentia.

§. I. Traditiones à tradendo, quod tradita quasi, ore tenusque communicata sint, vocantur, ac literis nunquam consignari soleant, sed ab unius ore ad memoriam alterius proficisci, conveniuntque in eo cum officiis Instrumentisque, quod extrinsecè fiscum constituunt,

non ingredientes essentiam ejus: internà verò Fisci directione à reliquis discernuntur.

§ 2, Quoniam igitur, ut modò dixi, Fisci essentiam non ingrediuntur Traditiones, peculiari eas ratione illum constituere sequitur. Licet enim materialiter spectatæ non multum à Peccatis differre videantur, in præsentì tamen non ut causa inde redundantis pecuniæ, sed ut modus quasi augendi numerum peccatorum spectantur, quo omnia illa assessorum placita eo prætextu ratificantur, quod licitum ipsis sit hoc vel illud decretum peccatificare, ut ita loquar per Legem 29.

II. Summa Traditionum paucis afferenda.

§. 1. In vastissimam Traditionum abyssum me conjeci, tot earundem species enumeraturus, singularumq; Definitionem daturus, angustissimæ pagellarum capacitatis immemor. Sed unde mihi tam repentè solatium? Tradere Traditiones explicareq; non licet. Sola ergo rem fistit Definitio? Non, sed commemorabo ex antiquitatum monumentis sine ullo ordine, methodoq; non quidem omnes, præcipuas tamen antiquorum Traditiones, non traditurus modum eas efficiendi, sed in solo earundem nomine acquiescens.

§. 2. Nos D. G. Seniores & Antistites Fisci (antiqua habet Epistola) nomine universæ
So-

Societatis singulis Reipubl. nostræ membris
 notum facimus : Cautum approbatumque
 superiori mandato esse, & à nobis rursus repe-
 ti : Ne quis vestrûm Scripturam S. ullo modo
 alleget, multò minùs diabolium infensissimum
 generis nostri inimicum nomet aut alterum
 de peccato præmoneat, ex urceo contra mo-
 rem bibat, Pastoraleve frustum tam capitale,
 quam caudale & intermedium indivisum re-
 linquat, aut sibi soli retineat. Nec, si Liber
 Judiciarius afferatur, introspiciat, & si ipse
 Judex fuerit, à rectâ scribendi computandi-
 que ratione decedat. Librumve radat; sed an-
 te allatam carnem tradat Seniori, Novitioque
 ante diem ♀. Ne quis etiam Divisor existens
 carnem manu contrectet, ex alienâ carnem
 patinâ fumat, uvasque passas aut petroselini
 frustra in alienam patinam reponat, frustorum-
 que numerum in dividendo excedat, aut pa-
 tinam planè non purget, vel jam allatâ carne
 id facit. Si quis verò Pastor, Custosve fuerit,
 non dividat, aut si Judex, Librum judicarium
 ante Seniore non inspiciat, justoque tem-
 pore deponat officium. Omnes verò ac sin-
 guli id teneatis, ut justo consvetoque tempore
 pretium pro cibo solvatis, nec Plures aliquis
 unâ uvas passas, ac petroselini, intestinorum-
 que partes capiat, patinam quocunque modo
 attrahat, mappam maculet, ante Pastorem su-
 um Contrapastoremque bibat, carnem è patinâ

elabi finat, eidemque rursus imponat, nec carne adhuc in patina existente panem, nec in orbem jam repositam carnem intingat. Nemo denique alium ad maculandum impellat, cultro pulset, panem ante allatam carnem promoveat, aut Salem seu in orbe vel mappâ relinquat, seu in orbem injustum maculatumve reponat. Ac si quis verba alicujus peccaminosa repetere velit, formulæ (cum veniâ) memor esto. Quisquis contra hoc mandatum fecerit, se rem Fisco, nobisque gratam, sibi verò damnosam fecisse, usitatamque fisco multam debere sciat. Publ. Anno hujus constitutionis primo, &c.

§. 3. Hæc præcipua Traditionum genera sunt, quæ ex antiquissimis M S S. collegi. Cæterum prolixam singularum explicationem addere h. l. supervacaneum est, cum earundem scientia ex praxi potius velit, quam è Præceptis addisci.

QUÆSTIONES:

I. *An multa Traditionum determinanda sit?*

Non hîc materia Traditionum expenditur, quare nec pecunia materiam infecuta.

II. *An cauda rectè vocetur das Haupt-Pastoral?*

Non sensu Physico, quasi cauda & caput unum idemque sit, sed sensu Fiscologico idem valet: habitam enim caudam pro principa-

cipali, pastoralique fructo omni tempore fuisse ipsa divisionum praxis testatur.

CANONES:

I. Precatio Traditionum terminus.

Recitatâ enim gratiarum actione perit omnis Traditionum valor.

II. Tollit quoque Traditiones Discretio.

Non à priori solùm, verùm etiam à posteriori: Numerata enim ex Discretionē pecunia, tanta, quanta ad accessum totalem requiritur, Subjectum à peccatis, traditionibusque per septimanam liberat; numerata vero ad lubitum assessorum facta non facta reddit delicta.

III. Cessantibus Traditionibus cessat usus Instrumentorum.

Totum enim esse Instrumentorum nihil aliud est, quàm ad Traditiones referri. His igitur sublati necesse est tolli eorundem usum.

IV. Unica vox Allegationem non facit.

Unica enim vox nec perfectam sententiam constituit, nec Scripturæ sensum sufficienter exprimit.

V. Li

V. Licet Diabolum suo modo nominare.

Non proprio ejus nomine, nec simpliciter, sed in ordine ad respectum Fisco logicum. Ita à pecuniâ actum nominationis ejus subsecuturâ, vir duorum grossorum (der zwey Groschen Kerl vulgò appellatur.

CAP. VI.

De

INSTRUMENTIS FISCOLOGICIS,

PRÆCEPTA:

I. Instrumenta Fisco logica sunt Media Constitutiva Minus Principalia, Fiscum organicè perficientia.

§. 1. Nec Instrumenta realiter in Fiscum influunt, sed in eo cum Traditionibus, Officiisque conveniunt, quod ut causa sine quâ non eum promovendo Mediorum minus Principalium nomen induant. Instrumenta verò hæc non rationalia, sed sensualia esse, ipsa Subjecti conditio docet.

§. 2. Ut verò ratio influxûs, organicæque perfectionis intelligatur, non aliter illa concipi debet, quam §. præced. notavi: Augere nimi-

nimirum Fiscum ita Instrumenta, ut non per propriam id fiat essentiam, sed per editas operationes, tam determinatas, quam indeterminatas. E. g. promovet Fiscum patina, orbis, lychnuchus, non quasi partes Fisci sint, sed quod dum quis patinam orbemve confodit, aut lychnuchi obliviscitur pecunia inde Fisco inferenda emergat.

II. Suntque vel Vulgaria, vel Artificiofa.

Idque admodum cognitionis nostræ: Alia enim intellectui per se nota sunt, alia in hac ipsâ demum Disciplina explicanda nobis obijciuntur.

III. Vulgaria Instrumenta sunt Patinæ, Orbes, Vitra, Urcei, Lychnuchi, Cultri, &c.

§. 1. Vulgaria ab usu dicuntur, quoniam in vitâ communi nihil his ipsis usitatius est.

§. 2. Definienda verò h. l. Instrumenta non vulgariter sunt, sed per respectum Fiscologium determinanda eorundem quidditas est, non absoluta, sed in ordine ad Fiscum considerata. Ita patinas orbemve Instrumenta perforabilia frangibiliaque rectè dicimus, sic vitrum instrumentum fragilissimum, lychnuchus obliviscibile, culter Instrumentum ad pulsandum aptum natum sensu Fiscologico est.

IV. In-

IV. Instrumenta Artificioſa ſunt opera artificialia per ſe ad Fiſcum ordinata. Suntque Norma maculandi, ac Liber Judiciarius.

§. 1. Opera non ideò artificioſa in Definitione dicuntur, quaſi Vulgaria non ab arte dependeant, ſed quod hoc loco ſub artefactorum ratione ſpectentur, quorum Fiſcologiae peculiaris conſideratio eſt.

§. 2. Norma igitur maculandi ab uſu dicitur, quod macularum in mappâ existentium quantitatem menſuret, menſurataque qualitatem determinet. Eſtque diſcus rotundus, è ligno duriore elaboratus, aptus ad macularum dimensionem, certâque quantitate gaudens. Quanquam enim groſſi majores cuprei in eam rem adhibeantur vulgò, excogi-



tatum tamen ſingulari invento Instrumentum eſt,

est majori accuratione. feliciori que successu idem efficiens, quod reliquis alias Instrumentis non sine errore peragi solet: Cum enim ineptitudinem cultrorum, grossorum que inæqualitatem animadverteret autor, ejusmodi instrumentum excogitare cœpit, quod & certâ quantitate gauderet, & mensurando suo præterea æquaretur.

§. 3. Ut verò Quantitas ejus eò melius percipiatur, ex Archetypo deductum Schema apposui, chartæ que ideo huic siccæ impressi, ne facillè dilataretur. Unde & ejus area dimetiri, & comparari ad grossos aliasque normas facillè potest.

§. 4. Liber verò Judiciarius, liber est chartâ purâ constans, rationes acceptorum expensorum que Fiscologicorum excipere aptus. Qui quomodo huc pertineat §. 2. Præc. 2. Cap. præced. docebit.

QUÆSTIONES:

I. *Quenam Instrumenta Fisco plus conferant?*

Cum artificialium Instrumentorum usus merè Fiscologicus sit, ac præterea frequentissimus, usui reliquorum utpote rariori prævalere statuendus est.

II. *An Lychnuchus artificialis ad Instrumenta secundi ordinis pertineat?*

Licet

Licet Lychnuchus iste non detur in Vulgari vitâ, sed speciem grandævi senis emunctorium manu, candelamque capite tenentis,



præ se ferat; non tamen per se ad Fiscum ordinatur, sed parem cum Vulgaribus utilitatem obtinet, unde ad eorundem quoque classem ut Lychnuchus refertur.

CANONES:

I. Quodcunq̃ue organicè operatur,
Instrumentum est, Patet

Patet id ex Definitione Instrumentorum superius explicatâ.

II. Qualis macula, talis quoque adhibeatur norma.

§. 1. Postulat id mensuræ cum mensurato conformitas. Non igitur in usum præsentem adhiberi vel lineæ, vel corpora possunt, cum superficies solis superficiebus dimetiantur.

§. 2. Ex quibus simul manifestum est, nostram, quam proposuimus normam solarum figurarum circularium esse, reliquas verò quotquot dari possunt inordinatas, alias sibi normas expetere.

III. Culter est inadæquata macularum mensura.

Fluit ex præcedenti: Cum enim maculæ pleræque circulares sint, nec facillè quædam cultri figuram repræsentet, patet frustra eundem in hoc negotium adhiberi.

CAP. VII.

De

LIBRO JUDICIARIO,

PRÆCEPTA:

I. Liber Judiciarius est Medium Consecutivũ intrinsecè Fiscum conservans.

§. De mediis hæctenus Fiscum constituentibus egi, eorundemque naturam sufficienter exposui, nunc cum non constitui tantummodo

F

dò

dò Fiscus, sed & conservari cupiat, alia in eam rem media excogitabo;

§. 2. Liber ergo Judiciarius, vel quod à Judicibus conscribi soleat, appellatur, vel quod dijudicari inde omnes controversiæ Fiscologicæ possint. Cumque non à priori Fiscum constituat, sed illum jam constitutum consequatur, medium inde consecutivum, & intrinsecè quidem conservans, ut distingvi ab Exactione mulctarum possit, rectè vocatur.

§. 3. Jam quoad modum Conservationis notandum, esse illum merè intellectualem, nec sensu percipi posse; à posteriori tamen, & ab effectu cognosci, quatenus Judiciarius Liber omnium mediorum fundamentum quasi, ac principium quoddam cognoscendi est, ita ut eo sublato omnis fisci notitia sit interitura.

II. Ejus partes sunt; Series Assessorum, Annales Fiscologici, & Catalogus Debitorum.

Tot nempe partes Subjectum ac Media hujus Disciplinæ postulant: Prior pars Subjecto inservit, posteriores verò Media, tam Constitutiva, quàm Consecutiva docent.

III. Series Assessorum est Compages paginarum 14. ad modum 7. dierum in hebdomade composita, Planetarumque iis competentium notis distin-

stincta, capiendis assessorum nomini-
bus accomodata.

Series ea in fronte libri cernitur, cui qui-
cunque primùm ad mensam accessit vel locum
in eâ mutavit, nomen inscribere tenetur, ac
in eam quidem paginam, cui loco suo conve-
niens Planeta respondet.

IV. Annales Fiscologici sunt historiæ
singularum in anno septimanarum in
quibus sub quo Judice, & quomodò Fis-
cus constitutus, usurpatusque fuerit,
notatur.

Judicis ergò conscribere hos annales pro-
prium est. Cæterum formam ac compositio-
nem ipsa eorundem inspectio magis accuratè
docebit.

V. Catalogus Debitorum est pagina-
rum aliquot è nigrâ ut plurimùm char-
tâ compositarum fasciculus, capiendis
debitorum incertorum nominibus a-
ptus.

Hujus quoque partis cognitio ab ipso usu
dependet: Tantùm observetur, non requiri
ad essentiam hujus Catalogi chartam nigram,
licet vulgò appelletur das schwarze Register.

QUÆSTIONES.

I. *An Liber Judiciarius recte appelletur*
ספר השפטים?

Liber ita Judicum in Sacris vocatur. Jam cum & hicce liber Judicum repræsentet historiam, & nomine isto rectè gaudebit, licet ex eodem allegare liceat.

II. *An rectè ultima Libri Judiciarii pars vocetur Catalogus nebulonum.*

Appellari ita sæpius solet; sed cum delicta h. l. non tanta sint, ut nebulonizare aliquem possint, debitorum potiùs catàlogus appellatur.

CANONES:

I. Libros Judiciarios interire nefas.

Nefas enim interire alicujus Disciplinae principium.

II. Quò recentior Liber Judiciarius, eò accuratior.

Crevit enim temporum progressu magis magisque Fiscologiae habitus.

III. Pereunte mensâ, perit quoque Judiciarius Liber.

Aufertur enim tunc unâ cum Seniore, nec nisi redeunte eo mensâ restituitur.

IV. Ubi defunt Libri Judiciarii, ibi ad assessorum memoriam recurrendum.

Non quidem Novitiorum, quorum nullâ est Libri prioris cognitio; sed Veteranorum qui diu mensâ, interfuere. Eorum enim adjumento novus elaborari Liber Judiciarius potest.

V. Quò

V. Quô mensa est recentior, eò minor Libri Judicarii autoritas.

Non enim tantam autoritatem obtinet, quod jam esse incipit, quam quod ad perfectam suam aetatem pervenit.

CAP. VIII.

De,

MULCTARUM EXACTIONE.

PRÆCEPTA:

I. Mulctarum exactio est Medium Consecutivum, extrinsecè Fiscum conservans.

§. 1. Diximus ad Sect 2. è mulctis aggregari fiscum, ex iisque realiter constitui: jam quomodo constitutus conservari, legitimoque usui aptari queat, docendum. Mulctarum igitur vocabulum h. l. partes Fiscus potentialis notat, & exactio earundem actionem quâ Fiscus ille potentialis actuatur. Cumque ea in sensus externos maximè cadat, extrinsecè Fiscum conservare in Definitione recte dicitur.

§. 2. Ex quibus simul ratio Consecutionis, & in quo cum Libro Judicario conveniat, perspicitur: Quod nimirum à posteriori, & post constitutam jam Fiscus essentiam se intellectui insinuet, efficiendamque præbeat assessori.

II. Estque vel Ordinaria, vel Extraordinaria. Fun-

Fundamentum Divisionis non in Subjecto sed in ipso agendi modo quærendum. Quæ enim definitis temporibus accidit, Ordinaria, quæ verò iisdem non contingit, Extraordinaria appellatur.

III. Ordinaria Mulctarum exactio est actio Judicis, die Veneris debitâ assessorum hebdomadica exigentis.

Actio hæc Judicis est omnium prima. Quâ debita ab antecessore consignata recitat, eorundemque solutionem exigit. Quare cum mutatio officii Judicialis in diem Veneris per superius demonstrata cadat. & primam Judicis actionem eo tempore evenire in dubium est. Observ. autem tam simplicia quam duplicata hoc loco debita, solorum tamen assessorum indigitari.

IV. Exactio mulctarum Extraordinaria est actio totius mensæ circa debita incerta. Estque vel Duplatio. vel Catalogizatio.

§. I. Differt à priori Extraordinaria debitorum exactio non Subjecto solum agendique modo, sed adjuncto quoque temporis. In illâ enim sola debitorum recitatio sufficit, & à solo quidem Judice facta. Hæc verò totius mensæ actio est, consilio suscepta inque pertinaces directa debitores. Nec tempore quoque determinato gaudet, sed semper easuscipi solet. Dispecti verò pro ratione debiti in

Dup-

Duplationem, & Catalogizationem potest, quatenus debita vel certiora, vel incerta, omnique essendi aliquando potentia destituta existunt.

§. 2. Modus itaque Duplationis in eo consistit, quod multa peccatorum elapsa priori septimanâ ita quoad valorem suum crescant, ut toties per binarium multiplicetur summa, quot intercipiuntur à primâ transgressione hebdomades. Unde post solutionis terminum, non debita simplicia, sed eorundem dupla, vel multiplicia in Schedulâ debitorum notantur.

§. 3. Actum superiori Cap. de Debitorum catalogo est, consideratusque ille ut Libri iudicarii pars: nunc usum ejus, ac quâ ratione Fiscum conservet, docebo: Notetur igitur Subjectum ejus inscriptionis debita esse uti supra quoque docui, nullam essendi potentiam recipientia. Quæ cum ita sese habeant finis ejus non debitorum inscriptorum exactio erit, sed aliorum nondum inscriptorum ab interitu conservatio, præmonitione aliorum debitorum facta. Maturo vero consilio dixi eam inscriptionem fieri, debiti que rationem diligenter expendi, concurrentibus in eam rem universis mensæ Assessoribus, à quibus quoque literas juxta ordinem exarantibus ea actio docente Definitione proficiscitur.

QUE

QVÆSTIONES :

I. *An debita quis ante diem Veneris solvere teneatur ?*

Non ordinariè ; Tenetur tamen ex accidenti , Fisco nimis prorsus exhausto.

II. *An pecunia, quam quis Fisco mutuò dedit, retineri in spem futurorum peccatorum liceat?*

Cum non in retinentis potestate sit, scire an quis sit imposterus peccaturus, nec retineri in futuram peccatorum spem pecunia potest, nisi accedat illius, qui mutuò eam fisco dedit, assensus.

CANONES:

I. *possunt debita duplicari in infinitum.*

Id est Geometricâ progressionem singulis septimanis per 2. multiplicari. Nisi enim in infinitum multiplicarentur, sed certus constitueretur progressiones terminus, elapso eo utiq; differretur solutio. Quod est contra naturam Exactionis.

II. *Debitum adhuc incertum exigi nequit.*

Nec ordinariè, nec extraordinariè: Quapropter absurdissimi sunt, qui debita infinitum multiplicant, antequam detur eorundem certitudo.


III. *Debita quædam dantur æterna.*

Dantur in intellectu, quatenus pro debitis habentur pertinaciter: Dantur in rerum naturâ, quatenus catalogizata Fisco debentur in æternum.

IV. *Arrestatio particulæ illegitimum est Exactionis medium.*

Nullam enim in Legibus fundamentum habet, Quin & interdicitur peculiariter est. Nec obtinetur etiam eius semper ac ubique

F I N I S.



154 507

AB 154 507

ULB Halle

003 637 468



3

f

D

Ste -

A

1017



